



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

340. Infirmitas an & qualis, sit causa dandi Coadiutorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

etiam, ut ait Garc. n. 196. verum non esset, quod tradit Navar. *conf. 7. de descrip.* cui adhaeret Sauch. *de matrimon. l. 8. d. 21. n. 4.* nempe quod dispensatione seu privilegio concessio ob plures causas etiam copulative narratas, quae omnes non sint de jure necessariae, satis sit, quod una justificetur sufficiens. Unde jam illud à potiore inferri videtur, quod, ut dictum fuit ex Ventrigl. & Gonz. ad narratam gravem aetatem conjunctam cum infirmitate justificandam sufficere annos 55. praeter hanc aetatem justificanda quoque sit infirmitas. Porro distinctionem hac in parte faciunt AA. inter aetatem ingravescentem & senilem. Sic enim ait Ventrigl. *loc. cit. n. 6.* quod si gratia Coadjutoria concessa est propter ingravescentem aetatem, justificare sufficit aetatem 60. annorum; si vero ob senilem, necessarium est justificandam aetatem 70. annorum. Et si concessa ob ingravescentem aetatem junctis infirmitatibus, sufficere, ut justificetur aetas 55. annorum.

Questio 340. Infirmitas an & qualis sit causa sufficiens dandi Coadjutorem, & quomodo verificanda?

1. **R**espondeo primò. Causa dandi Coadjutorem tam temporalem quam perpetuam, tam Episcopis quam aliis Praelatis inferioribus, & Ecclesiarum curatarum Rectoribus est corporis vel mentis infirmitas, Tusch. *lit. E. concl. 403.* loquens tam de Parochis quam Episcopis respectu Coadjutoria simpliciter. Wamei, *com. 1. conf. 24. n. 3.* Pignat. *loc. cit. Barbof. juris eccles. l. 1. c. 15. n. 51. Parit. de resign. l. 7. q. 20. n. 7.* loquentes de Coadjutoria perpetua respectu Episcoporum. Gonz. *gl. 5. §. 9. n. 19.* loquens expressè tam de Coadjutoria, quae datur simpliciter, quam de ea, quae datur in favorem.

2. Respondeo Secundo. Infirmitas illa corporis debet esse talis, ut impediatur Episcopum vel Rectorem curatum, quò minus exercere possit ea, quae muneri suo incumbunt. Fagn. *in c. consultationibus de cleric. egrot. n. 9.* & AA. paulò ante citati, Talis infirmitas erit v.g. respectu Episcopi, quae eum impediatur in festivitatibus solennibus celebrare, quae cogat illum abstinere à collatione ordinarum, à consecratione Ecclesiarum, à visitatione diocesis, & similibus, unde imminet magnum periculum diminutionis cultus divini. Pignatell. *loc. cit.* ubi etiam, quod propterea etiam invito dari possit Coadjutor. Sic itaque vetus quartana vel debilis infirmitas, quae non impedit propria negotia sua expedire, non esset justa causa dandi Coadjutorem, imò talis nihil perciperet, nisi per seipsum inferiret. Fagn. *in c. consultationibus n. 8. & 9.* Idem de veteri quartana al àve levi febricula, modico vulnere habet Gonz. *gl. 5. §. 9. n. 8.* Praeterea debet esse perpetua sive perpetuò impediens exercitium officio & muneri Coadjuti incumbens. Cardin. de Luca. *de benef. d. 78. n. 4.* Fagn. *loc. cit. n. 10.* Ventrigl. *loc. cit. n. 8.* Pignat. Barbof. Tusch. *Parit. l. cit.* ubi etiam id exemplificat in infirmitate durante majore parte temporis, & cum illo Barbof. Ventrigl. qui postremus etiam addit n. 7. ex Paulo de Rubéis, quod ad validitatem Coadjutoria dolores debeant esse continui, quod tamen non nimis crudè accipiendum: rectè enim ait Gonz. *loc. cit. n. 89.* quòd licet infirmitas debeat esse talis, quae praestet perpetuum impedimentum, non tamen obstat, quòd sit cum aliquo quietis intervallo. denique debet esse incurabilis sine spe recuperandae valetudinis Ventrigl. *cit. n. 7.* Fagn. *loc. cit.* Gonz. *loc. cit. n. 88.* citans Felium, *in c. quoniam frequenter. n. 6.* ut lite non contestata. Card. de Luca. *loc. cit.*

3. Resp. Tertio. Si propter corporis debilitatem narratam conceditur Coadjutoria, debet talis debilitas verificari, quae ut dictum, praestet perpetuum impedimentum, & sit sine spe futura prosperitatis. Gonz. *n. 88. & 89.* Ventrigl. *loc. cit. n. 10.* citans Paul. de Rubéis *devis. 237 tom. 3. divers. & clarioris decis. 308. n. 17. tom. 2. divers.* aliàs *part. 6. recent.* Card. de Luca *loc. cit.* qui tamen id ipsam limitat n. 5. nisi admixta sit gravis aetas, quae senectutem importet; tunc enim sufficeret verificare senectutem juxta dicta *quasi. preced.* quin & narrata infirmitas in impetratione Coadjutoria concludenter probanda Barbof. *juris eccles. l. 3. c. 10. n. 6.* ubi si quis impetravit Coadjutoriam sub narrativa, quòd aliquis canonicus non potest amplius in choro propter adversam valetudinem inservire, id concludenter debet probare. Diligenter quoque inspiciendus est tenor supplicationis ac literarum, an nimirum gratia concessa ex sola infirmitate, quae narrata esset tanquam unica, ad quam se Coadjucus & Papa arctarent, vel potius concepta per alternativam concipi solitam cum illis verbis, seu certis de causis animum nostrum moventibus. in hoc enim casu, si de facto adesset alia causa dicti impedimenti, quod ex facti circumstantiis verisimiliter seu perpetuum seu diu duraturum erat, cessante etiam justificatione infirmitatis, non per hoc gratia corrueret; cum neque Papa, neque Coadjucus se ad hanc causam arctassent, atque subsisteret altera causa, quae habilis & sufficiens, quae etiam cum jurata attestacione justificari potest, quamvis ex prudentioribus motivis ad speciem redacta non esset, sed implicitè contenta sub illa generalitate &c. ita ferè Card. de Luca. *loc. cit. n. 2. & 3.*

Questio 141. An igitur etiam Episcopo necdum consecrato reddito inutili ob senectutem vel infirmitatem constitui possit Coadjutor?

Respondeo negativè, sed esse in totum removendum. Tusch. *lit. C. concl. 402. n. 6.* Fagn. *in c. consultationibus de cleric. egrot. n. 7.* ubi, quòd Praelato ob morbum supervenientem facto inutili is amovendus non sit, sed dandus ei Coadjutor, perseverante illo interim in statu suo respectu tituli, etsi exercitio destitutus sit, quòd id inquam, fallat in electo in Episcopum & confirmato, qui ante consecrationem redditus est inhabilis; huic namque non dandum Coadjutorem, sed in totum removendum & non consecrandum, citat pro hoc *gl. in c. scripsit. v. quod autem. 7. q. 1.* & rationem dat hanc; quòd resset aliud adhuc scrutinium, & in illo transire non debet minus idoneus, ut *c. 1. de aetate & quair.* Ad eòque illud; quòd in Praelato electus & confirmatus sine sua culpa Praelatura privari non debeat; intelligendum de Praelato non Episcopo. Idem nihilominus expressè de Abbate confirmato ante consecrationem reddito inhabili, quòd de Episcopo tali tradit Tusch. *loc. cit.* secus tamen videtur de abbate, qui non consecratur.

Questio 342. Quenam in specie sint infirmitates, propter quas dari possit Episcopo vel etiam aliis Praelatis aut Rectoribus curatorum beneficiorum Coadjutor perpetuus, vel etiam dari debeat Coadjutor temporalis.

1. **R**espondeo sunt sequentes. Primò de perditum officium linguae seu loquendi, qui est casus, ob quem *in c. consultationibus.* dicitur Archidiacono